Quelle: https://manuscripta.at/?ID=928
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

de quibus locutus est dñs Quia egressa est iniquitas de babilone a senioribus iudicibus qui iudebantur regere plebem Ish frequentabant domum ioachim: et ueniebant ad eum omnes qui habebant iudicia Cum autem populus recedebat p meridiem: ingrediebatur susanna et deambulabat in pomerio uiri sui Et uidebant eam senes cotidie ingredientem et deambulantem: et exarserunt in concupiscentiam eius: et auerterunt sensum suum et declinauerunt oculos suos ut non uiderent celum neque recordarentur iudiciorum iustorum Factum est autem cum obseruarent diem aptum quando eam possent inuenire solam: ingressa est aliquando sicut heri et nudius tertius cum duabus solis puellis uolutque lauari in pomerio Estus quippe erat Et non erat ibi quisquam preter duos senes abscondito Dixit ergo puellis Afferte mihi oleum et sinimata: et ostia pomerii claudite ut lauer Cum autem egresse essent puelle: surrexerunt duo senes et accurrerunt ad eam et dixerunt Ecce ostia pomerii clausa sunt: et nemo nos uidet Quam ob rem assentire nobis et commiscere nobiscum Quod si nolueris dicemus contra te testimonium: quod fuit tecum iuuenis: et ob hanc eam emiseris puellas a te Ingemuit susanna et ait Angustiae mihi sunt undique Si enim hoc egero mors mihi est: si autem non egero non effugiam manus uestras Sed melius est mihi absque opere incidere in manus uestras: quam peccare in conspectu domini: et clamauit uoce magna susanna Exclamauerunt autem et senes aduersus eam Cum autem audissent clamo-